



## A U C T O R   L E C T O R I .

**P**hysicam inter Geometricamque doctrinam tam arcta est necessitudo , ut apud omnes cultiores viros tanquam vanissimum merito habeatur

Physices studium Geometriæ præsidio destitutum . Quæ cum ita sint , nemo mirari debet quod a studiosis adolescentibus , sacræ licet Theologiae destinatis , Arithmeticæ & Geometriæ elementa requiriāt ; si enim his careant doctrinæ Physicæ adjumentis , satius est eos huic præclarissimo studio valedicere omnino : *Melius est nihil scire , quam male scire* ; tale enim cognitionis , potius dicam ignorantiae , genus , mentis aciem hebetat reclumque judicium corruptit , & omni studiorum generi nocet plurimum . At me fortasse reprehendent censores aliqui quod nova elementa ediderim , cum nihil fere in orbe litterario frequentius sit Elementorum libris . Neque talem me esse quis sibi falso persuadeat ut de aliis elementis minus laudabiliter sentiam , huncquæ meum libellum supra alios omnes extollam , quod tamen a plerisque Elementorum auctōribus nimis arroganter factum video . Et quidem variis Elementis ratione licet & methodo diversissimis suam justam laudem concedendam esse facile quisque fatebitur , si varias attenderit adolescentum conditions atque voluntates . Alii sublimiorem Physicam Mathesimque universam addiscere , & funditus haurire sibi proponunt ; alii autem alis